Vir dignissime, colendissime! Cum solatio percepi Litteras tuas, quia perspexi ex eis, quod quidem iam prius tenebam, te nimirum prompte suscepisse plantas meas et judicium amicum dixisse de illis. Sicut certum est, quod non soleam recedere leviter ab ideis, et sententiis, quas ex convictione sequor, ita parte ab alia plurimi facio judicium peritorum amicorum; illa proinde, quae dignabaris mihi communicare, valde grata sunt, et ego desidero, ut in posterum quoque nostrum persistat commercium litterarium frequens et sincerum.

Bulbos de Croco vittato, si quo possibile fuerit tibi mittere contendam.

Quod Genistam attinet heteroacantham non praebeo assensum sententiae tuae, – aut vero mihi non est clarum objectum. G. silvestris Scop. mihi est foliis linearibus, lineari lanceolatis, planta humilis, caule a basi folioso; ego meam nov. spec. (si est.) traho ad G. germanicam potius, a qua tamen differt caulibus procumbentibus, demum adscendentibus, et spinis ramorum florentium herbaceis, v. bracteis herbaceo mucronatis, nec compositis; folia meae Genistae et totus habitus differt adeo a G. sylvestri, ut nullo modo acquiescam: identicas esse; .. si non est varietas, aut forma

G. germanicae, extunc in conjunctionem cum G. sylveſtri vix unquam conſentire poſſem ... Si equidem illa vera eſt G. ſilveſtris, quam reputo, et tibi, crediderim, miſi.

Primula Kitaibelii Schott deſcripta eſt, Skofitz, botanische Zeitung de A^o 853

Pedicularis nomen mutabo et illud Campanulae etiam Veronicae; sed Synonima dicam per te propoſita nomina in litt.

Sentimentum tuum de aliis plantis avide exspecto; praeſertim de Centaurea ſic dicta Carniolica et variegata, mihi videntur differentiae ſubeſſe;

Hoc brevibus retribuo in ſignum ſinceri affectus mei et exiſtimationis, illud deſiderium adnectens, ut porro velis amicam cooperationem tuam mihi concedere pro utilitate ſcientiae, et exhilaratione animi, quam tantopere erigit hoc amabilis occupatio noſtra. Ab amico Schloſſer ſalutem plurimam.

Tibi commendatus perſiſto

Zagrabiae 15. Jan. 857 paratiſſimus

Lud. Farkaš Vukotinović